Albertus sapientis cognomine illustris diuino munere populis donatus ingentem principatus potentiam cum mira sapientia (quod ad salutem subditorum optimum est) mirandum in modum coniunxit. Æquum enim uidebatur, ut, qui se a mundanis curis abdicauerat, et totum se Deo addixerat; in magna necessitate fratribus nimirum sine hæredibus extinctis, populis pro eorum incolumitate a Deo restitueretur; et principibus Austriæ ducibus, ac Imperatoribus non tam regnorum, et Imperij amplitudo; q̃ religionis, et fidei constantia in exemplum, et decus perpetuum relinqueretur. propterea nec bellica laude caruit Albertus; dum et socios, et se ab iniurijs uendicat; nec religionis officia pretermisit; dum templa condit, sacris interest, honeste uiuit, bene moritur.

Obijt anno chr. MCCCLVIII. Rodolpho, Alberto, Leopoldo, Margarita Mainardi Brandeburgi Marchionis uxore, et Caterina uirgine sacra superstitibus, uno filio orbatus, ex Ioanna pfyretarum comitis filia natis.